



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

§. 27. Prælium inter Cæsareos, & Bohemos rebelles commissum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

modas in Imperio adornarunt: Ut ve- Sæc. XVII.
 ro hæc consilia feliciter succederent, Bo- A. C. 1618.
 hemos in sua rebellione armis quoque
 fovendos rati, mox militem conscri-
 psere, atque exterorum opem ad res
 hæctenus non auditas pertinaciter in-
 cipiendas temerarie implorarunt, uti
 testatur Carolus Carafa, & ex arcanis
 consiliis, quæ in Cancellaria Anhalti-
 na leguntur, & infra adducentur, sat
 luculenter demonstratur.

§. XXVII.

*Prælium inter Cæsareos, & Bohe-
mos rebelles commissum.*

Hæc dum in Germania gerebantur, Annal. Boic.
 Carolus Longevallius Bucquonii Co- part. 3. l. 3.
 mes die nona Novembris Camnizio Bu-
 dovifium versus castra moverat, infe-
 quentibus eum Bohemorum quatuor-
 decim millibus. Hi novissimas Cæsa-
 rei exercitus legiones invasere, quos
 tamen Bucquoius strenue aggressus,
 eosque, dum pontem quemdam præoc-
 cupare festinarent, mira celeritate præ-
 venit, ac trecentis sclopetariis insidens,
 tam feliciter hostes remoratus est, ut
 hi ponte interim dejecto grandiora sua
 belli tormenta, uti contenderant, tra-
 jicere haud valerent. Inter hæc Buc-
 quoius etiam restitutis suorum Ordini-
 bus, in prælium aciem instruxerat, du-

Sæc. XVII. centis ad primum proximæ sylvæ adi-
 A. C. 1618. tum collocatis peditibus, qui assidua
 sclopetorum explosione tamdiu Bohe-
 mos innoxio Sylvæ ingressu prohibue-
 runt, quoad evicto penitus saltu Cæsari
 apertam in planitiem prope Saslaviam
 evaderent. Concursum igitur illic est,
 tamque ardenti utrinque pugnandi
 vincendique aviditate continuis quinque
 horis dimicatum, ut certamini finem
 non animi defectio, sed nox ingruens
 imposuerit, cæsi sunt Bucquoianorum
 quadringenti, Bohemorum autem,
 quibus locus ad certamen secundior,
 & pugnantium multitudo copiosior
 erat, pauciores interiere: E Cæsareis
 capti sunt ducenti Pragam transmissi,
 quos Bohemi ibidem velut in triumphum
 duxere, atque ad sua signa sollicitarunt.
 Bucquoius vero intempesta nocte cum
 exercitu suo e campo discedens, Budovisium
 oppidum obsidione liberavit, ac triduo
 post Crumaviam interceptit, impositoque
 milite firmavit, insigni Cæsaris emolumento
 & grandi rebellium damno. Interea
 Ernestus Mansfeldius Comes Petri Mansfeldii
 spurii Filii, secta Lutheranus, moribus
 ferox, versipellis, protervus, impius, ac
 dissolutæ conscientiae juvenis, relictis
 Sabaudi Ducis castris a Germaniæ Protestantibus
 cum

Hist. d'Allemagne Barre. tom. 9. pag. 464.

Merc. Galloh. t. 12. l. 3.

cum aliquot armatorum millibus in Bohemiam missus advenerat, summo rebellium applausu exceptus. Hic a Turriano Comite suprema rei tormentariæ Præfectura honestatus, Pilsnæ urbis religioni ac Cæsari fidissime cives ad deditorem & ejurandam fidem sollicitare, detrectantes vero expugnare armisque exuere jubebatur.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

*Relat. obsid.
Pilsnæ. edit.
1618.*

§. XXVIII.

Pilsnensis urbis obsidio.

Cum autem Protestantes Bohemiæ Proceres die decima tertia Augusti datis literis Cæsari exposuissent, quod ipsis nunquam in mentem venerit, ut damnum aliquod Pilsnensibus darent, multo minus, ut hanc urbem obsidione cingerent, hinc cives eorum promissis nimium confisi, a validioribus præfidiis comparandis abstinerunt: insuper præter omnem expectationem acciderat inchoatæ obsidionis nuntius, eoquod Protestantes ex Rotenburgensi suo Conventu non ita pridem oblatam a Cæsare pacificationem se gratam habere testati fuissent; cognita igitur iterata eorum perfidia Cæsar apud Saxoniam Electorem, qui hanc quoque pacis negotiationem promovere toto studio adlaborabat, questus est, quod per-